

tionem nostri, tanquam meritum, sed pre-
 exigitur in mediatore nostro: deinde ut
 servitus legis, cui nostrâ causâ Christus
 spontè suâ se fecit obnoxium *Gal. 4. v. 4.*
5. & sic ad meritum pertinet. Etsi n. Chri-
 stus quâ homo, ipse quoq; legis obedi-
 tiâ tenebatur: tamen quâ justus, sanctus,
 & Filius Dei, non erat obligatus ad servi-
 tutem spontaneam legis. Factus enim est
 totius legis servus propter nos, ut nos à
 servitute legis redimeret. Sic spontanea
 servitus fuit, quòd est circumcisus, quòd
 sabbata & festa servavit, quòd subiectus
 fuit parētibus, quòd Cæsari didrachmum
 solvit, quòd proximo servivit, cum esset
 circumcisionis sabbati, parentum, Cæsa-
 ris, & proximi Dominus.

VII. *Unius inclusio non est alterius exclu-
 sio in homogeneis, connexis, & subordinatis.*
 Itaq; cum Scriptura nobis justitiam mon-
 strat in sanguine, morte, & cruce Christi,
 non putanda est loqui exclusivè, quasi per
 passiones mortem antegressæ ad meritum
 non pertineant; sed synecdochicè, ita ut si-
 mul complectatur paupertatem, miseras,
 pericula & totam humiliationis obedi-
 tiam. Hæc enim omnia in *λύπη* Christi
 conjungit *Esa. ca. 53.* & apostolus *Phil. 2.*
 Cur verò, inquit aliquis, Scriptura meri-
 tum Christi, mortis ejus quasi peculiare ac
 proprium